



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Usuris, & interesse, Pars II. de Cambiis, Pars III.
de Censibus, Pars IV. de Societatibus Officiorum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Rev. Cameræ Apostolicæ Tribunal. Joannes Baptista de Luca Felicitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74112](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74112)

REV. CAMERÆ
APOSTOLICÆ
TRIBUNALI.

JOANNES BAPTISTA DE LUCA
FELICITATEM.

VSUR A S necessarias exigere mutuatori lex prohibet, mutuatario vero pro accepti beneficij merito, & ex illa obligatione, quam nos Juristæ *Antidoralem* dicimus, voluntarias præstare nedum permittit, sed quodammodo præcipit; Cùm itaque in mea diuturna Advocationis negotiatione, ipsis meis laboribus editis ac edendis edocentibus, hoc AMPLISSIMUM TRIBUNAL ingens mihi fuerit mutuator, dum eorumdem laborum magna pars præsertim de FEUDIS & BULLA BARONUM, de REGALLIBUS, ac de SERVITUTIBUS & UTROQUE RETRACTU, in ipso TRIBUNALI, vel in ejus filialibus Congregationibus BARONUM, MONTIUM, & COMPUTERIUM tractata fuit: Ex dictæ obligationis impulsu, ne sim reus legum, quas aliis suadeo, hoc mei THEATRI volumen de **U**SURIS, CAMBIIS, CENSIBUS, & SOCIETATE OFFICIORUM sub VESTRI nomine & tutela publicæ luci exhibeo, ut ita mei debiti ac obsequii usuras persolvam, beneficiorum cambium præstem, ac me censitum agnoscam.